



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno 483. Usque Ad Annum 561.

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1759

VD18 90117824

§. 60. S. Albinus Andegavensis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66066](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66066)

§. LX.

Sæculum VI.
A.C. 538.*S. Albinus Andegavensis.*

Concilio Episcopi novemdecim & Pres-
byteri septem absentium loco sub-
scriperunt. Primus fuit Concilii Præ-
ses Luperus Archiepiscopus Lugdunensis,
qui vigesima quinta Sept. inter Sanctos
colitur. Tum tres alii Archiepiscopi,
Pantagathus Viennensis, quem Ecclesia
17. April. honorat, Leo Senonensis, Ar-
cadius Bituricensis, Flavius Rothomagen-
sis. Inter Episcopos memorandi veniunt
Eleutherius Antissiodorensis, S. Laudo
Constantinensis, S. Agricola Cabillonen-
sis, S. Gregorius Lingonensis, S. Gallus
Claromontanus, S. Albinus Andegaven-
sis. Hic familia nobili prope Venetiam
natus, adhuc juvenis ad Monasterium
Cincinnacense seu *Tintillant* se recepit.
Ibi cum omnium virtutum genere efful-
geret, annum agen trigesimum quintum,
Abbas electus est, at postquam annos
quinque præfuisset, invitus evocatur, &
Episcopus Andegavensis ordinatur. Tunc
vero alendis pauperibus, defendendis Ci-
vium suorum causis, invisendis ægrotis,
redimendis captivis totus incubuit. Mi-
raculorum quoque dono claruisse fertur,
atque tribus cæcis lumen restituisse, &
mortuum ad vitam revocasse. Fortuna-
tus, qui triginta post annos vitam ipsius

Oo 5 scripsit,

Sæculum VI. scripsit, refert illorum nomina, & cir-
A. C. 538. cumstantias. Præsertim S. Albini zelum

contra Matrimonia incesta laudat, dicit-
que, Virum Sanctum ut in hac materia
Disciplinam Ecclesiæ tueretur, forte pe-
ctus Martyrii periculo objecisse. Iter
suscepit ad S. Cæsarum hac super re ab
eo consilium petiturus, in qua profectione
S. Lubinum tunc Monasterii Bruani Ab-
batem & exinde Episcopum Carnuten-
sem socium habuit. In Conciliis etiam
S. Albinus hunc abusum tollere conatus
est, & hoc quoque Concilium tertium
Aurelianense in uno Canone illarum Nu-

Can. 10. ptiarum fœditatem damnat. Cum in
aliquo Concilio Collegæ ipsius instantent,
ut quosdam illius culpæ reos & excom-
municatos absolveret, atque Eulogias
seu Panem benedictum eis mitteret, di-
xit: *Cogitis me, ut benedicam, neglegam
Dei Causa, sed maxima est ejus Poten-
tia, & ipse sibi illatas injurias vindicare
potest, si velit.* Et ecce! qui ex-
communicatus erat, subito animam red-
dedit, antequam Eulogias ore recipere
potuisset. S. Albinus postquam rexisset
Ecclesiam Andegavensem annis viginti
& mensibus sex ad Superos migravit an-
no 550. prima die Martii, qua Ec-
clesia ejus memoriam
colit.

*Mart. Rom.
I. Mart.*

HISTO-